

Francisci Castilionensis Vita Victorini Feltrensis.

1 Decesserunt etiam hoc anno¹ nonnulli tum sanctitate vitae tum litteris viri praestantissimi. Inter quos summae pietatis atque integritatis vir, Fantinus Dandalus nomine, nobilis Venetus, Patavinus episcopus, paullo ante Antonium ex hac vita migravit, post Antonium vero Nicolaus Cortoniensis,² Cartusien-
ensis monachus ac prior eius monasterii, quod iuxta Florentiam situm est. In quo viro quum esset summa religionis observantia summaque prudentia humanitasque immensa ac litterarum peritia, illud maxime eius modestiae ac pudici animi signum narratur, quod, quum tunicellas ac cilicia, quibus utebatur, emundanda sordibus et aqua diluenda censebat, repulsis omnibus ministris, qui id munus, ut par erat, subire parati erant, ipse solus, quum esset aliorum ac totius familiae dominus, in cella reclusus suae immunditiae molestias perferebat, quumque aetate octuagenarius nulla religionis officia praetermittebat, primus in choro etiam in ipsa intempestate nocte cernebatur, quumque Romanus pontifex Nicolaus V. illum ad maiorem dignitatis gradum evocare voluisset, multique ad eum cardinalatus apicem opinione deferrent, ipse de sua religione numquam se educi perpersus est eaque de causa Romanus pontifex ad nepotem suum Iacobum,
2 quem Perusinum episcopum fecit, favorem convertit. Obiere praeterea infra spatium vertentis anni duo viri doctissimi, Iannoctius Manettus, civis Florentinus, ac Poggius, quorum prior non tantum Latinis, verum etiam Graecis ac Hebraicis litteris eruditus, philosophia, eloquentia divinisque litteris ornatus summaque humanitate praeditus merito sibi equestris ordinis quam tenebat dignitatem vindicarat; alter vero multa acrimonia suavitateque sermonis insignis, ut ex eius libris ac epistolis facile patet, non immerito huius temporis facundiae
3 princeps appellabatur. Fuerunt etiam nostris temporibus paullo ante in nostra civitate duo Arretini, Leonardus et Carolus, viri eruditissimi, quorum alter de se in libris, quos scripsit, suae eruditionis ac sapientiae testimonium dereliquit, alter vero, Carolus scilicet, etsi maiori doctrina maiorque ingenio praeditus a multis ducebatur, ex eo tamen, quod nihil unquam dignum tanta scientia opus conscripsit, brevi suarum laudum exornationem ac famam extinctam iri omnes arbitrantur. Leonardus anno MCCCCXLIII die XXIII. Martii, Carolus vero postea MCCCCLIII die XXVI. Aprilis diem vitae ultimum clausere, uterque magnâ pompa magnoque apparatu, publicis sumptibus exsequias consequuti ac
4 laurea coronati. Non multis quoque annis antea Ambrosius, monachus Camaldulensis, qui illis studiorum socius fuerat ac virtute non impar, MCCCXXXIX anno XIII. Kal. Nov. ex hac vita migravit. Cuius ingenium multa solertia multaque humanitate ac religione praeditum fuisse omnes testantur. Qualis vero fuerit eius doctrina ac litterarum peritia, ex illis, quos partim ex Graeco in Latinum traduxit, partim a se ipso conscripsit, libris facile cognosci potest.

¹ D. i. in demselben Jahre wie Antonino (1459). — ² Wahrscheinlich für Cortonensis.

Illudque profecto in eo viro multa admiratione dignum est, quod suo labore suaque industria, nullo aut parvo admodum auxilio praeceptoris fertur Graecas litteras didicisse.

Horum quoque temporibus fuit Mantuae Victorinus Feltrensis, in quo 5 viro summa doctrina summaque integritas vitae omniaque virtutum genera egregie relucebant. De quo pauca pro tempore ad bene beateque vivendi exemplar proponendum ex officio mihi recensenda. Fui enim octo annis sub illius viri disciplina moribus simul ab eo ac litteris eruditus. Assimilavi eum saepius Antonio pontifici, cuius nuper vitam conscripsimus; dispar tamen vitae professio, sed virtus par ac pietas studiaque similia. Alter enim ab ipsa infantia religioni, ut scripsimus, dedicatus, alter semper in negotiis saecularibus versatus integerrime religionis habitum, quem in animo gestabat, in ipsis rerum agendarum operationibus ostendebat. Scribam igitur breviter, quoniam non nunc nobis texendae historiae seriem proposuimus, quae ipse in praestantissimo viro Victorino vidi atque cognovi. Nec pigebit lectorem ei, quam nuper de Antonio lectionem persolvi, hanc quoque de Victorino multo brevior, quae magno sibi usui ac voluptati futura sit, superaddere. Si quispiam enim est virtutis amator, si quis bonarum artium studiosus, si quis inprimis bonis litteris eruditus, debet, quae de Victorino scribentur, perlegere.

Fuit igitur Victorino ingenium solers atque acutissimum et ad omnem 6 scientiam omnemque rem peragendam accommodatum, magna ad res proloquendas facundia, maior ad persequendas animus atque industria, immensa erga deum pietas atque religio, erga homines beneficentia summa ac liberalitas. Non ex ignobili generi in Feltrensi civitate Italiae patre Bruto natus est. Coepit in ipsa adolescentia primo litteris humanitatis atque eloquentiae operam dare, deinde dialecticae philosophiaeque ac liberalibus artibus non tantum nomine, ut plerique hominum nostri temporis faciunt, sed re ipsa maximum studium maximamque diligentiam adhibere. Leges quoque tam civiles quam sacros canones non penitus ignoravit. Postremo vero ad sacras litteras omne studium convertit et in sacrae theoriae³ speculationibus velut in tranquillo iocundissimoque omnium litterarum portu anchoras iecit. Patavii litteris operam dedit, ubi magister in liberalibus 7 artibus effectus est, ad quas optime pernoscendas plurimum insudavit. Illudque sane in eo viro multa laude multaque admiratione dignum est; cum enim ad mathematicas artes adipiscendas maximo arderet desiderio nec ad eam rem ullum eo tempore ducem haberet, ad Blasium Pellacanum — sic enim appellabatur, qui tum Patavii erat solusque in ea parte Italiae illius disciplinae peritiam habere ferebatur — se confert, ut eo praeceptore in geometria uteretur, oratque summis precibus, ut possit discere id de se, suamque⁴ ei in quavis re operam pollicetur. Tandem adhaeret homini, omnia mercennarii apud illum officia subit, nihil praetermittit, quod ei gratum iri officiosumque esse arbitrabatur, usque ad mundandam supellectilem, quae sumpto cibo lavari consuevit. Omnia enim Victorino facilia videbantur sub ea spe, quam sibi de consequenda ab eo mathematica disciplina proposuerat. Sed cum videret⁵ eum ad se docendum remorari, coepit illum summis precibus fatigare, ut aliquod saltem principium

³ theorie G. — ⁴ sua G. — ⁵ videt codd.

eius sibi disciplinae impartiretur, cumque hominem nullis precibus nulloque beneficio flecti posse cognovisset, post semestrem ab eo abitum facit stomachosusque
 8 ac nobili accensus ira a se ipso Euclidis codicem aggreditur. Post alium vero⁶ semestrem decem Euclidis sine praeceptore libros intellexit, res profecto nostris temporibus inaudita. Quod cum Blasio illi magistro unico a quodam Victorini amico narratum esset — non enim hoc de se ipso unquam Victorinus, cui modestissimum⁷ erat ingenium, praedicasset —, expalluit vir sapientissimus: tanta fuerat tum admiratione tum pudore percussus. Brevi igitur tempore, multo tamen⁸ labore in omni mathematica disciplina eruditissimus Victorinus evasit. Cuius rei ego id signum maximo argumento esse consexi, quod quodam anno
 9 praecedente cuidam viro ex discipulis suis sine ulla difficultate legebat. Idem, ut memini, in Homero facere consueverat; litteris enim Graecis, quas optime callebat, iam grandis natu imitatus Catonem⁹ operam dedit¹⁰. Poetis vero atque oratoribus historicisque¹¹ adeo familiaris erat, ut singulis diebus tres quatuorve lectiones pro qualitate audientium legeret. Ab impudicis tamen ut¹² Iuveni Martialique ac comicis aliisque similibus ob eorum lasciviam abstinebat; aiebat enim eorum lectionem animos corrumpere adolescentium. Is prima aetate Patavii rhetoricam publice docuit, deinde fastiditus¹³ lasciviam atque flagitia eorum, qui in studiis nostro tempore versantur, Venetias se contulit, ubi quam plures non ex infima plebe egregios adolescentes non tantum bonis litteris, verum etiam et optimis moribus erudit. Certum sibi discipulorum numerum statuerat, quem nullis precibus nulloque pretio transcendisset¹⁴. Si quem vero¹⁵ minus modestum offenderat ac difficilem, statim illum ad parentes remittens aiebat: 'Dic, ut te mercaturae potius quam litteris accommodent.' Quo etiam tempore plures e discipulis eius eruditissimi¹⁶ viri¹⁷ evasere.

10 Cumque sua industria ac studio, quod in docendis adolescentibus praestabat, magnum sibi et boni viri et optimi praeceptoris nomen comparasset, Iohannes Franciscus Mantuanus princeps huius tanti viri fama commotus pro erudiendis filiis, quos plures habebat, Victorinum accersit. Erat in eo principe multa virtus imprimisque magnanimitas egregia maximeque de optima filiorum institutione sollicitus erat. Cumque per totam Italiam virum tanto operi idoneum quaereret, neminem, qui Victorino adaequari posset,¹⁸ invenit. Ad quem consequendum et communis amici opera usus est, cuiusdam scilicet ex optimatibus Venetiarum, et magnam simul¹⁹ pro tali labore mercedem pollicetur. Cui Victorinus vix tandem post longam consultationem multisque pulsatus precibus
 11 assensus est. Abhorrebat, ut saepius postea nobis narravit, curias moresque principum neque se ea disciplina ac severitate in filios regios, quam in ceteros consueverat, uti posse confidebat. Id tamen munus hac de causa ac spe se libenter suscepisse aiebat; cum enim hoc Victorini esset desiderium, ut ad communem hominum utilitatem suum laborem suamque operam converteret, cumque ad²⁰ instar principum populos fingi et pro eorum voluntate facile ad

⁶ Fehlt im A. — ⁷ molestissimum codd. — ⁸ Fehlt im A. — ⁹ Vgl. Cic. Cat. m. 26, Acad. II 5, Plut. Cat. 2. — ¹⁰ dederat A. — ¹¹ storicisque G. — ¹² ut in codd. — ¹³ Vgl. Petr. 48, 4. — ¹⁴ transcendisset G. — ¹⁵ non G. — ¹⁶ eruditissimis G. — ¹⁷ viris G. — ¹⁸ possit G. — ¹⁹ sibi G. — ²⁰ Fehlt im A.

quamvis rem eorum animos flecti posse intelligeret, si optimum principem optimis moribus litterisque ornatum instituisset, universam quoque civitatem ac regnum, quod eius ditioni subditum esset, non immerito optime institutum iri arbitrabatur. Hoc proposito atque hac mente Mantuam profectus est nullum de mercede verbum faciens. Sed princeps liberalissimus eius labori optime consultum esse voluit. Erat enim Mantuano principi uxor magni, pretii egregiaeque virtutis, 12 nomine Paula Malatesta, quae sua prudentia suaque gravitate magnum quodvis sola regnum gubernasset, quodque praeclarius est, singularis erat in ea pietas atque religio. Magnum, dum vixit, thesaurum pauperibus erogavit, visitabat infirmos, consolabatur afflictos, non verbis tantum, sed re auxilioque iuvabat. Omnes religionis²¹ observantias²², quae sparsim per Italiam sitae erant, in unam civitatem Mantuanam simul convexit. Nullum fratrum conventum, nullum monasterium sanctimonialium ibi esse voluit, quod religionis observantiam non teneret. Condidit etiam ipsa monasterium quoddam singulare, quod optimis sanctimonialibus repletum ad²³ hunc²³ usque²⁴ diem in maxima religionis observantia ac vitae sanctitate perdurat. Erat tum gloriosa admodum civitas Mantuana, in qua²⁵ illustris magna- 13 nimusque esset princeps, qui domi militiaeque erat maxime strenuus, in qua regina tam insignis, in qua etiam Victorini virtus adesset. Ad quem ut redeamus, pauca de eius virtutibus, quas simul tam egregias in uno homine raro convenisse intelleximus, subiungenda sunt. Quae enim scribam, non aliorum relatu, sed quae ipse vidi, certissima ac verissima refero; ipse enim Victorinus viginti et duobus annis Mantuae erudiendis principis filiis aliisque adolescentibus operam dedit, quo tempore apud illum octo annis usque ad eius obitum permansi.

Primum igitur omnium iuxta Pythagorae²⁶ praecepta ventre, somno ac 14 mollitiae egregie super omnes homines abstinebat. Nam cum singulis diebus epulae regiae illaeque lautissimae propter filios principis, quos ad mensam secum habebat, apponerentur, tanta erat hominis abstinentia, ut nullam illarum penitus non modo non²⁷ assumeret, sed ne gustaret quidem. Sed grossiores cibos quaeritans iuveni carnes altilibus, fasianis, turdis, leporibus aliisque huiusmodi praeponebat. Aiebat oportere ea pro restauratione naturae imbecillitati reservari. Erat tamen²⁸ in ipsis quoque grossioribus cibis supra, quam dici posset, parcissimus. Vino quoque dilutibili nimiaque aqua perfuso utebatur et antequam alii, qui secum erant, medium fecissent prandium, iam ille consummaverat. Ab hoc ordine numquam ulla causa discedebat. Aiebat se ita sumpto cibo sicut antea et studio litterarum et rebus quibuslibet agendis sufficere posse²⁹ nec cibo ullo impediri. 15 Ob id quoque et corpore validus et in studiis vigilantissimus ante lucem codices lumenque posebat. Facile quoque ex ea causa castitatem, quae in eo homine summa laude digna erat, omni non tantum mollitiae, verum etiam suspicione remota³⁰ servabat. Numquam uxorem habuit, numquam in aliquo concupiscentiae genere lascivisse memoratur. Abhorrebat praecipue vitium Sodomiticum. Si quem adolescentium, qui apud se erat, illo infectum esse offendisset, nulla poterat vel magna in eum animadversione satiari. Narravit mihi quidam summae sanctitatis vir, qui a Victorini confessore hoc audierat, illum scilicet usque ad mortem per-

²¹ religiones codd. — ²² observantiae codd. — ²³ adhuc G. — ²⁴ usque in G. — ²⁵ qua et A. — ²⁶ Diog. L. VIII 1, 9. — ²⁷ Fehlt im G. — ²⁸ tanta G. — ²⁹ posset codd. — ³⁰ amota G. —

petuo caelibem perdurasse. Quae profecto, quanto³¹ rarior est inter mortales, tanto gloriosior³² est laus.

- 16 Erat in eo praeterea munificentia tanta atque liberalitas, ut, si ad alios usus, quam ipse faciebat, conversa esset, potius prodigalitas dici posse videretur. Nil enim a Victorino accipiebat, nisi qui nil petierat. Nam ut omittam, quot adolescentes pauperes, quos ad discendas litteras idoneos noverat, domi suis sumptibus retinebat, quibus libris, domo, victu vestituque optime consulebat, nullos praeterea pauperes, non viduas,³³ non pupillos, nullos denique religiosos a se indonatos dimittebat neque id parce agebat. Scio ego aliquos religiosos viros, quibus frumentum, vinum, ligna aliaque huiusmodi pro eorum necessitate transmittebat. Ecclesiam quoque quandam Carmelitarum de observantia a fundamentis denuo suis sumptibus condendam instituit, verum morte ante praeventus est, quam posset inceptum opus perficere, quod tamen postea aliis eodem zelo permotus debitam tali principio consummationem accepit. Illud sane non est praetermittendum, quod in maximam Victorini laudem cedere videatur, ut eius non
- 17 iam³⁴ liberalitatis, sed munificentiae potius signum intueamur. Cum enim quaedam mulier, quae virum in carcere propter aes alienum, domi vero inopem familiam ac famelicos natos habebat, ab eo subsidium tantarum miseriarum ac suae calamitatis auxilium imploraret, tum ille mulierem percontatus, quanto aere alieno vir eius esset obnoxius, cum triginta et tres aureos suis creditoribus debere intellexisset: 'Vade', inquit, 'mulier ac die crastina ad me revertaris'. Postera vero die casu accidit, ut nonnulli viri, qui de quadam re inter se litigabant, de communi consensu apud Victorinum tamquam virum iustum tantundem pecuniae, triginta scilicet et tres aureos, deponerent. Cumque illi discessissent, supervenit mulier, quae superiori die auxilium implorarat. Cui Victorinus statim totum depositum, ut acceperat, papiro involutum porrexit nihil addens verborum nisi: 'In pace abi!'³⁵ Deposito vero aliunde de suo satis fecit. Nam hanc rem postea rescivimus ex quodam antiquo viro, qui Victorino fidelissimus adhaerebat. Qui etiam, ut rem certam haberet, mulierem subsecutus quaesivit ab ea, quidnam a Victorino accepisset. Illa vero quadrantibus sive minuta se accepisse existimabat. Cumque vir ille iussisset, quidnam Victorinus dedisset, mulierem intueri, repperit se non minuta, sed aureos, ut diximus, accepisse. Magnum profecto liberalitatis ac munificentiae signum! Arbitratus est, ut puto, vir optimus, quandoquidem depositum cum aere alieno convenire intellexit, a deo ac velut e celo missam esse pecuniam, qua tantae calamitati subveniret.

- 18 Sed neque honoris gloriae cupidus nullaque penitus ambitione movebatur. Quin etiam ea potissimum causa fuit, ut, cum esset in omni scientia omnique doctrina eruditissimus multaque facundia praeditus, numquam tamen ad aliquid scribendum accederet, ne aliqua inanis gloriae fama accendi posset. Aiebat etiam satis a maioribus nostris abundeque in omni doctrina scriptum esse. Illud certe in Victorino multa laude dignum iudico, quod etiam viri christianissimi officium est. Nam cum suo tempore multi essent in Italia docti viri, qui in oratoria facultate illustres essent, nullusque paene esset ex illis, qui alter alteri non esset infensus, in quem maledicta invectivasque dictaret audiretque, solus Victorinus

³¹ Fehlt im G. — ³² generosior A. — ³³ viduos G. — ³⁴ tam G. — ³⁵ Vgl. Marc. V. 34.

omnibus amicus. carus omnibus fuit detestabaturque plurimum, quae ab aliis³⁶ invectivae scribebantur. 'Nonne', aiebat, 'satis est illos ab hominibus nostri temporis livoris aemulationisque notari, ut³⁷ etiam³⁸ scripto ac libris stultitiae suae testimonium posteris derelinquant?'

Talari toga non pretiosa eaque uniformi utebatur. Si quando duas habuisset 19 tunicas, alteram iuxta evangelicum³⁹ praeceptum uni ex discipulis condonabat. Numquam ad ignem etiam in magno hiemis rigore accessisset et ad quem alii magno urgente algore properabant, ille solus a longe spectabat. Aiebat ab exercitatione corporis rectius quam ab igne calorem comparari. Adolescentes quoque, qui apud se erudiebantur, variis ludis ut pila, cursu, saltu, disco, gladiatura, in quibus inerat sine periculo cum omni honestate exercitatio, singulis diebus exerceri se ut plurimum spectante iubebat. Aiebat id non tantum exercendis corporibus atque valetudini, sed etiam acuendis ingeniis conferre plurimum. In musica itidem disciplina more Attico suos discipulos exerceri iubebat et ad haec edocenda magistros apud se idoneos retinebat. Cupiebat ipse veterem illam accuratissimamque erudiendorum adolescentium disciplinam redintegrare.

Erat in eo postremo summa in deum pietas ac Christianae religionis obser- 20 vantia. Singulis diebus missam filiis principis celebrari faciebat, in qua ipse semper genibus flexis a principio usque ad consummationem, praeterquam dum⁴⁰ evangelium legebatur, persistebat. Aiebat id se⁴⁰ duplici de causa facere, tum ut mentis elevationi satisfaceret tum ne supervenientes saepius viros nobiles in missa alloqui atque convenire cogere. Officium beatae virginis semper genibus flexis qualibet die adiectis insuper pluribus psalmis dicere consueverat. Ad quas orationes filios secum principis adhibebat, ut non tantum ab eo litteris moribusque instituti, verum et pietate ac religione ornati esse viderentur.

Nihil penitus curae studii⁴¹ omittebat, quod ad eorum disciplinam atque 21 optimam eruditionem pertinere arbitrabatur. Nusquam ab eis discedebat, sive litteris operam darent sive ludo atque exercitationi sive dum cibum sumerent sive dormitum accessissent. Omnibus his semper interesse consueverat. Partiebatur eis ex proportione cibum ac potum. Si quid illis a⁴² quoquam praeter id, quod statuerat, porrectum esse rescivisset, male sane secum actum iri ille arbitrari poterat. Pro addiscendis litteris numquam aut raro eius discipuli vapulabant, 22 sed qui lectionis studium neglexissent, hac animadversione plectebantur; iuebantur enim illi tum ad studium redire, cum alii ad ludum iocumque capiendum libertatem acceperant. Si quem vero aut mendacem aut furem percussoremve seu minus dictis ac factis modestum offendisset, nullus erat tum locus veniae, nullum ille deprecatores, qui se liberaret, parare poterat. Acerrime eum manibus flagrisque pulsabat. Neque in iuniores quosque ac minores, sed in grandes natu ac nonnumquam maiores se discipulos hac severitate utebatur. Erat enim Victorinus statura brevis gracilisque corpore, vultu hilaris ac rubicundus. Cum esset natura colericus, quae plurimum esse dicitur rebus agendis accommodata, numquam tamen nisi pro virtute excandescere consueverat. Si quid contra honestum a quoquam perpetratum esse intellexerat, nulla id ratione aequo animo ferre

³⁶ his A. — ³⁷ nisi codd. — ³⁸ ex G. — ³⁹ Luc. III 11. — ⁴⁰ Fehlt im G. — ⁴¹ studiisque G. — ⁴² Fehlt im G.

- 23 posse videbatur. His facile artibus filios principis bonis litteris optimisque moribus reddidit ornatos compluresque alii adolescentes, qui ad eum ex omnibus Italiae partibus, confluebant, optimi ac doctissimi viri evasere. Semper erant apud Victorinum viri docti tum Latinis tum Graecis litteris eruditi. Semper aliquos ex Graecia viros, nonnumquam tres quatuorve domi habebat, qui partim nostros Graecas litteras edocerent, partim ipsi Latinas docerentur; nonnullis etiam pro librariis utebatur. Erat enim Victorino bonorum librorum magna copia, quos tamen auditoribus aliisque litterarum studiosis pro voluntate petentium liberalissime accommodabat. Videbatur tum Mantuae partim ex ipso praeceptore, partim ex copia discipulorum, nonnihil etiam ex ipsa⁴³ librorum abundantia, maxime vero ex ipso institutionis ac disciplinae genere altera, quae fertur, Platonis Academia
- 24 constituta. Nulli rei illic praeterquam litteris ac honestis studiis vacabatur. Erat ipse praeceptor in legendis lectionibus accuratus, in auscultandis attentus, in emendandis diligentissimus. Cogebat sua diligentia quemvis etiam rudem litteras discere. Haec erant praeterea Victorini inter cetera, quae de discendis litteris praecepta dare consueverat. Primum omnium non sophisticas disciplinas, non iuniorum ambages atque ineptas fabulas legi volebat, sed ab antiquis ac maioribus nostris, ut quisque accuratissime in omni doctrina egregieque scripsisset, ita a quolibet, quam⁴⁴ quis⁴⁴ desiderasset, scientiam haurire iubebat ut a Prisciano grammaticam, ab Aristotele dialecticam ac⁴⁵ philosophiam. Si quis vero ad eloquentiam anhelabat, Ciceronem, in poesi Virgilium, in historia Sallustium ac
- 25 Titum Livium imitari iubebat. Cum vero quis ad audiendum praeceptorem accessurus erat, monebat eum in⁴⁶ ea,⁴⁶ quam auditurus erat lectionem, perscrutari prius, si quid a se ipso intelligere potuisset; audita vero a praeceptore lectione statim illam percurrere et locum ac verbum, si quid sibi ambiguum esset, annotare, quod postea a praeceptore quaereret; deinde lectionem ipsam eiusque sententias⁴⁷ cum omni diligentia atque accuratissime investigari; postremo vero atque inprimis, quae quis antea⁴⁸ audierat, saepius repeti iubebat ac perlegi aiebatque non posse hominem litteras edoceri, nisi quis ea, quae antea⁴⁸ legerat, ad imitationem bovis saepius ruminaret.⁴⁹ Primumque omnium eum, qui litteris dare operam vellet, existimabat ab omni peccati ac flagitii labe immunem atque immaculatum esse oportere saepiusque, cum in hanc sententiam incidere, Salomonis⁵⁰ testimonium afferebat. Nam in malivolam, aiebat, animam non introibit sapientia neque habitabit in corpore subdito peccatis.
- 26 Scripsimus de Victorino pauca de multis, quae et legentium animos ad virtutem possint accendere et in gloriam tantarum laudum cedere videantur. Quae etiam Antonii praesulis vitae subiunximus, tum quia utrosque novimus, tum quia in omni virtutum genere admodum sibi similes esse visi sunt. Videor etiam mihi ad comparisonem ceterorum hominum eos procul ab aliis et tamquam in sublimiori quodam loco positos intueri. Nos vero iuxta Venusinum poetam⁵¹

ET NUMERUS SUMUS ET FRUGES CONSUMERE NATI.

⁴³ ipsorum A. — ⁴⁴ quamvis G. — ⁴⁵ et G. — ⁴⁶ Fehlt im G. — ⁴⁷ sententias serius codd. — ⁴⁸ ante G. — ⁴⁹ Vgl. Augustin. in psalm. 46, 1. — ⁵⁰ Sap. I 4. — ⁵¹ Hor. Epist. I 2, 27.

Illi se ad maximam communemque hominum⁵² utilitatem accomodabant, sua commoda aliorum utilitatibus postponebant, cumque nullum pro salute proximi recusarent laborem, satis sibi praemii dari videbatur, dummodo eorum labor non irritus, sed fructum aliquem peperisse videretur. Nostris vero temporibus nemo²⁷ vel parvum laborem subeat nisi praemium⁵³ ac proprium commodum sibi paratum videat. Nemo litteras discit nisi lucrandae pecuniae causa, quaestuariam doctrinam omnes quaeritant. Pauci denique sunt, ut existimo, qui non aliquo morbo laborent. Quis est enim immunis ab avaritia, quis a voluptatibus alienus? Quis est, qui livore carens ambitione non tangatur? Rapimus omnes, alios maledictis, alios malefactis insectamur et quos palam laedere non audemus, hos clam obloquendo percutimus. Nulla est nobis pax sincera, nulla vera dilectio et quoniam abundavit iniquitas, refriguit iam caritas multorum. Vereor ego, vereor profecto, ne haec sint illa, quae nobis in evangelio⁵⁴ novissima tempora promittuntur. Sed magno, ni fallor, profecto premimur somno magnaue immersi caligine rectum a perverso, honestum a turpi, sanctum a profano aut non cernimus aut certe cognoscere dissimulamus. Nihil enim tam honestum ducimus hac tempestate quam divitias atque opes comparare, nil tam laude dignum quam gloriam ac dignitates⁵⁵ omni ambitone perquirere. Veniet, heu veniet tamquam fur dies domini magnus nosque inparatos tamquam inter oscitantes opprimet!⁵⁶ Praeveniamus igitur iudicium novissimum in contritione cordis faciamusque fructum dignum poenitentia. Haec enim est secunda tabula post naufragium, ut Hieronymus⁵⁷ ait. Convertamur ad dominum, et ipse convertetur ad nos⁵⁸. Imitemur²⁸ sanctos viros, quales nuper vidimus Antonium ac Victorinum et si quos illis aliqua ex parte similes esse intuemur. Sunt enim multi etiam hac tempestate viri religiosi ac multi⁵⁹ virtutibus illustres, in quibus profecto, ni fallor, fides nostra radices suas ac fundamenta conservat. Non enim staret humana societas nedum christiana religio, nisi inter malos, qui plures sunt quam boni, ut Bias Prienensis⁶⁰ aiebat, aliqui etiam boni permixti essent, quibus adhaerere sapientissimum est. Nam ex consuetudine ac familiaritate quotidiana hauritur, quicquid in nobis boni aut mali est. Bonum est igitur atque ita bonum, ut nulla mali permixtione optimum appellari queat. Deo, qui summe est bonus, ut David⁶¹ cecinit, bonum est adhaerere. Ipse clementissimus pater, cum filios, qui a se non fugerint, corripuerit, tandem ad se recipiet, ipse percutiet et sanabit nos.⁶²

⁵² omnium G. — ⁵³ primum G. — ⁵⁴ Matth. XXIV 5 ff., Marc. XIII 1 ff. — ⁵⁵ dignitate G. — ⁵⁶ Vgl. Thess. V 2. — ⁵⁷ adv. Iov. II 15. — ⁵⁸ Vgl. Ier XV 19. — ⁵⁹ multis G. — ⁶⁰ Diog. L. I 5, 88. — ⁶¹ Ps. 72, 28. — ⁶² Vgl. Os. VI 2.